

ces confusas in castris audierunt dicentium: proditi sumus! Quid [a], plura? Mangano, Asino nomine, qui totum dissipaverat castrum, ibi turpiter dimisso, et castris in pluribus locis accensis, omnes in specie fugae [b], nemine tamen persequente eos, domum reverti properant, quos pro certo rubore suffusos [c] male recipiunt senes [d], pueri et mulieres, dicentes: Non debuistis effugere [e] maxime Ravennates, cum majores illos fugassent ubique [f].

De praelio apud Castrocarium^{1/} et captione Raffanari^{2/} [A].

CAP. LXIV.

Altera vero die summo mane Faventini, ira et furore accensi maximo, ad locum ubi hostes viderant [g], gradu properant citissimo, parati se morti exponere [h], aut suum incendium in illorum ruinam extinguere. Sed eis non inventis, tres civium partes cum comite Malivicino [i] pergunt in planum Ravennae, capientes et comburentes [j] Raffanariam et alia multa loca [k]. Ceperunt praeterea rusticos multos cum animalibus non paucis. Quarta autem pars in occursum Castrocarieusibus properant, rursus audientes hostes ad partes illas tendisse. Quos ibi viderunt castrametatos circum plebem Sanctae Reparatae [l], comite Guidone Guerra vexillum propria manu [m] sumente, ipsos aggredi audacter non formidarunt; in cuius belli initio hostes longe a castris vi expulerunt [n], prosternendo ac capiendo. At ubi Ravennates paucos Faventinos pugnae interesse intelligunt, resumptis cum audacia viribus, castra gloriose recuperant, plures de nostris et militibus comitis [n] capientes, quam amisissent de suis. In illo itaque praelio Faventinis ad plenum [o] prospere nequitquam cessit; sed profecti si non essent [p] divisi, bellum inter ipsos et hostes foret uno die inceptum atque peractum [q]. In illis praeterea diebus quiescerunt cives solliciti, quae fuisset causa tam turpis reversionis a Castro. Laborabat tanta infamia [r] contra consules, et

[a] proditi sumus, Codd. V. et A.; alii legunt, perditum sumus. — [b] in specie fugae. Sic Codd., pro in speciem fugae. — [c] quos pro certo rubore suffusos, Codd. M. et A. In C. V., quos profecto rubore suffusos. — [d] recipiunt senes. Sic lego cum Codd. A. et V. In C. M., recipiunt senes. — [e] non debuistis effugere, Codd. M. et V. In C. A., non debuistis fugere. — [f] fugassent ubique, Codd. M. et A. In C. V., fugassent undique. — [g] ubi hostes viderant, Codd. — [h] se morti exponere, C. V. In C. M., se morte exponere. — [i] comite Malivicino, C. M. In C. V., comite Malvicino. — [j] et comburentes, C. V. In C. M., et deest. — [k] multa loca, C. M. In C. V., deest multa. — [l] propria manu, Codd. M. et A. In C. V., propera manu. — [m] vi expulerunt, Codd. M. et A. In C. V., vi repulerunt. — [n] de nostris et militibus comitis, C. M. In C. V., pro comitis, est cunctis. — [o] Faventini ad plenum, Codd. M. et A. In C. V., Faventinis ad praelium. — [p] profecti si non essent, Codd. M. et A.; profecto si non etc. alii legunt. — [q] atque peractum. Sic lego cum C. A. In Codd. M. et V., atque paratum. — [r] Laborabat tanta infamia. Codd. M. et A. In C. V., laborabant tum infamia consules; Cl. Mitt. legit sic: laborabant tamen infamia contra consules.

[A] Castrocarium, vulgo Castrocaro, duobus milliariis supra oppidum Terra del Sole reperitur. Terra autem del Sole est ad meridiem, in finibus ducatus Etruriae, sexto ad urbe Forolivio lapide. Raffanaria, vulgo Raffanara, nunc villa juxta flumen Anemonem, non procul a villa Rasponia, San Giacomo dicta, Ravennam versus, novem abhinc milliariis residet. In territorio Russii, in loco Madrara, etiam olim Decimellum dicta est.

[B] Prope Castrocarium est, plebs in territorio Foroliviensi, de qua in charta ann. 970 (G. 2878 Archiv. Archiep. Ravennae). In charta Archiv. Azz., sub die 9 iunii, nominatur ut proxima Cosnae.